

Dissertatio inauguralis medica de lingua sana et aegra / [Johann Reinhard Kustner].

Contributors

Kustner, Johann Reinhard.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

Altorfii : Literis magni Danielis Meyeri, [1716]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ggfcbec7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

28 510/3/1

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAVGVRALIS
MEDICA
DE
**LINGVA
SANA ET ÆGRA**
*QVAM
CONSENSV
GRATIOSAE*
FACVLTATIS MEDICAE
IN
INCLYTA VNIVERSITATE ALTORFINA
PRO LICENTIA
**HONORES IN MEDICINA SVM-
MOS ET PRIVILEGIA DOCTORALIA**
LEGITIME CAPESSENDI
PUBLICAE VENTILATIONI
EXPONIT
AD D. XXV. JVN. A. R. S. *MDCCXVI.*
JOH. REINHARDVS KVSTNERVS
MOENO-FRANCOEVRTENSIS.

*AL TORFII,
LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.*





PROOEMIVM.

 Inquam nobilissimum illud organum oris, animæ nostræ cogitationumque interpretem optimum, (a) sive juxta Democritum ψυχῆς ὄγγελον, thematis inauguralis loco describere & explicare jam suscepī: atque ad hoc non leves me impulerunt causæ; sive enim 1.) artificiosissimam illius fabricam, quam recentiorum præcipue quorundam Anatomicorum (b) industria debemus, consideremus, quæ mirabilis profecto & stupenda plane examinantibus se offert, 2) sive præstantissimos atque egregios ejus usus, quos corpori nostro præstat, perpendamus, dum in loquela, gustu, masticatione, deglutitione, muci & aliarum rerum ex ore rejiciendarum expulsione, suctione, aliisque usibus tam mascule se gerit, ut hæ actiones vel prorsus non, vel saltem non nisi depravate & imperfecte fieri queant: Sive etiam 3.) gravissimorum & pertinacissimorum morborum cohortem, partem hanc tam misere affligen-
tium, medicamque pariter ac chirurgicam opem desiderantium, perlustremus, profecto vix ullum fore adeo dementem arbitror, qui hanc materiam Medico futuro, aut non satis dignam, aut inutilem existimaverit, quin potius è contrario eam dignissimam atque utilissimam reputaverit. Hoc autem, ut congruo fiat ordine, totam hanc dissertationem in tria dividam capita: quorum primum erit physiologicum, mirabilem linguæ structuram, variarumque illius partium usum patefaciens. Alterum pathologiam ejus explicabit, nimirum morborum, qui linguam affi-

(a) ita enim vocatur ab Horatio, Lucretio, Prudentio.

(b) Malpighii, Fracassati & Bellini.

ciunt, naturam, causas & signa tradet, & simul indicabit, quan-
nam signa in aliis morbis ex lingua peti queant. Tertium illorum
curationem, tam quæ medicamentis, quam quæ manuum & in-
strumentorum opera peragitur, exhibebit. Quod si forte hinc
inde erravero, meliora edocitus, lubens meritoque errores meos
emendaturus sum. Ceterum Deum T. O. M. supplex rogo, ut
propositum hocce meum feliciter cedat in ipsius gloriam
atque proximi mei salutem.

CAPUT I. PHYSIOLOGICVM *Linguae structuram & usus exponens.*

§. I.

*Definitio
& ono-
matolo-
gia.*



Inqua, cuius historiam medicam hic describere su-
scipimns, est pars tam nota omnibus, ut oleum &
operam perdere existimemus, si de rigidiori ejus
definitione ad regulas logicas strictius accommodata
nimirum velimus esse solicii: propterea sine longiori verborum
ambage sub linguae nomine intelligimus partem illam organicam
mobilem in ore, gustus & loquelæ præcipuum instrumentum.
Genus hujus definitionis constituimus partem organicam, quo-
niam lingua ex variis aliis partibus, ad certas actiones deter-
minatas peragendas composita est; differentiam specificam
quilibet facile ex reliquis definitionis verbis colligere poterit.
Linguæ vocabulum sive à lingendo, (lecken) quoniam ea lin-
gere solemus, sive à ligando ortum ducat, quoniam dentium
vallo munita quasi & ligata est, ut Gellius vult (c) nobis perinde
erit, Philologorum enim litem nostram non facimus; sufficit
nobis si modo lector intelligat, nos sub linguae nomine hic non
fermo-

sermonem seu dialectum cuiusdam regionis vel populi indicare, quo sensu dicimus hunc vel illum callere linguam Græcam, Gallicam &c. quod nos Germani eine Sprach vertimus, sicut Plautus utitur in Pœnulo: dicens is omnes linguas scit; & Ovidius dum canit (d):

*Nec levis ingenuas pectus coluisse per artes
Cura sit: & linguas edidicisse duas.*

Sed è contrario nos intelligere partem illam oris mobilem in definitione expressam, quæ à Græcis γλῶσσα vel γλῶττα, à Germanis die Zunge appellatur, ob aliqualem etiam cum lingua similitudinem, Plinius aliique Botanici nonnullis plantis hocce nomen imposuerunt, ut linguæ cervinæ, linguæ bubulæ sive buglossæ, cynoglossæ, hippoglossæ, ophioglossæ &c. Plures linguæ significationes, ut pro contrectatione, eloquentia, promontoriis &c. Lector B. apud Lexicographos facile inveniet.

§. 2. *Linguæ situs, figura, magnitudo, color, numerus naturalis, notiora sunt omnibus, quam à calamo unquam describi gura, magnitudo, numerus & color possunt; ita, ut qui hæc accuratius scriptis tradere vellet, rem, me quidem judice, obscuraret potius quam illustraret: hoc solum in transitu quasi hic monere volumus, nonnullis lingua datam esse paulo majorem, nonnullis paulo minorem: his crassiorem, illis tenuiorem, aliis acuminatam, aliis obtusam magis, quæ omnia si modum non excedant, vix notabile quoddam vitium inferunt. Inde tamen magna ex parte pendere arbitror, quod quibusdam lingua sit volubilior, mobilior, promptior; aliis vero tardior, gravior & ad motum ineptior: hinc propter hanc diversitatem non omnes æque prompti vel apti sunt ad eleganter ornateque canendum aut loquendum; inde quoque oriri puto, quod quidam distincte admodum loquantur, alii confuse & perturbate, ut vix intelligi queant. Ratione*

numeri, nos non morari debet, quod *Diodorus Siculus* (e) de incolis Insulæ in australi oceano fabulose refert, διπτυχον αὐτὸς ἔχει τὴν γλώτταν, geminam seu duplicem eos habere linguam, quoniam nullo recentioris Historiographi testimonio comprobatur, adeoque id fabulis accensendum existimo. Attamen quandoque præter naturam homines nonnullos, duplēcēm habuisse linguam, docent *Miscell. N. C.* Dec. I. Ann. IX. & X. *Observ. 137.* item *linguam duplicem*, alteram alteri incumbentem in puerō sexenni *Ephem. N. C. Cent. III. Obs. 42.* Cæterum vocabula bilinguis & trilinguis apud latinos etiam notant hominem, qui duas tresve linguas callet, vel etiam, qui parum sincera fide loquitur (eine falsche Zunge) ut *Plautus* inquit (f) *Ne duplices habeatis linguas, ne ego bilingues vos necem.* & *Virgilius* Tyrios bilingues appellat (g) nusquam autem certa fide constat Tyrios duas linguas obtinuisse. Dividitur quidem lingua, ubi musculi in medio concurrunt, beneficio lineæ cujusdam albicantis tendineæ ab *Hippocrate* in *Coac. 11. 141.* Edit. Linden. τὸ διηργόν appellata, in partes æquales, dextram nempe & sinistram secundum longitudinem, illa autem divisio adeo superficialis est, ut hanc ob causam lingua minime duplex dici mereatur, sed potius revera unica tantum sit.

Connexio §. 3. Connectitur lingua variis partibus: anterior ejus linguae pars, quæ tenuior est, & plus minus acuminata apex linguae vulgo dicta, libera existit, ob motus facilitatem, quam actiones ejus requirebant, in inferiori tamen & media apicis parte ligamentum tenue membranaceum conspicitur, frænulum linguae appellatum, quod inter duo ostia ductuum salivalium *Warthoni*, versus menti interiorem & medium partem descendens, ibique cum musculo genioglosso, infra describendo, maxillæ inferiori jungitur, atque ne lingua forte inordinatus moveatur,

(e) sub finem libri secundi. (f) in *Truculent. A. 4. Sc. 3. v. 7.*

(g) *Æn. 1. v. 665.*

tur, præstare videtur. E contrario in recens natis, quandoque nimis breve existit, aut nimis productum, ut lingua libere moveri nequeat, & sic suctionem ac loqueland impediat: linguæ utraque lateralis pars cum maxilla inferiori cohæret per communem oris membranam. In posteriori parte, basis linguae dicta, per eandem membranam oris communem, fauibus, tonsillis & uvulæ necatur, in primis sursum ad uvulam lingua ibi emittit fibras quasdam carneas seu musculares, quæ apud *Valsalvam* (h) sub nomine novi musculi admodum exigui glossostaphilini veniunt, quales quoque hic Altorfii in cadaveribus invenit & demonstravit Vir Magnificus, Excellen-tissimus atque Experientissimus Dn. D. HEISTERVS, verum in omnibus subjectis, eas non æque visibiles ac robustas esse afferit. Præterea basis sive posterior linguae pars, firmissime conjungitur quoque cum osse hyoide, quod linguae pro basi seu fundamento inservit, mediante ligamento membranaceo lato, quo molliter non arcte nimis annectitur medio ossiculo ossis hyoidis, ne mobilitati impedimentum aliquod inde proveniat, quod ab Excell. D. D. HOFFMANNO observatum inveni in Diss. ad Horn. microcosm. p. 57: lateralibus autem ossiculis per musculos.

§. 4. Hoc os quoniam partem linguae constituit, à nobis *Ossis hyoidis de-*
hic minime prætermittendum, sed accurate potius describen-dum est. Appellatur *hyoides* quasi hypsiloides, ob aliqualem similitudinem cum figura literæ græcæ ypsilon, (quæ sic pingitur v) (i) vocatur etiam à quibusdam linguale, & à Germanis das Zungen-Bein / quoniam linguae adhæret, atque musculis nonnullis linguae originem præbet: situm est in fundo oris ad partem linguae posteriorem & sic inter linguam & laryngis partem superiorem. Hoc os in fœtu nondum appetet sed

(h) Tract. de aure humana. (i) Vesling. Tab. XI fig. XI. & XII. Verheyen Tab. XXIX. fig. 78.

sed loco ejus membranacea substantia invenitur, quæ postea in infantibus cartilaginea, & tandem ossea fit crescente ætate; in decrepitis, interdum ex uno frusto, verum in adultis & senibus aliis fere semper ex quinque constat partibus (quod notandum, quia plurimi autores trium tantum mentionem faciunt) quorum primum frustum pars media & latissima basis dictum, & in anteriori parte convexum, linguam, in posteriori vero concavum & laryngem respicit. Longitudo ejus dimidium pollicem paulò superat, latitudo vero trium vel quatuor circiter est linearum, & crassities unius linea. Ad hujus duas extremitates, reliqua quatuor frusta, utrumque duo sita sunt, unum majus, alterum valde exiguum, & ita juncta sunt, ut extremitatum partem posteriorem tantum tangant, & quidem majora extremitatis partem inferiorem, minora superiorem. Majoris pollicis quasi habent longitudinem, & aliquatenus appланata sunt, circa extremitates vero rotundiora: crassitatem habent mediocris calami straminei quodammodo compressi, paulòque sunt crassiora, ubi basin tangunt, quam in altera extremitate. Hæc ita cum basi juncta, ob qualemunque cornuum figuram, quam referunt, cornua ossis hyoidis, & totum os propterea etiam bicorne appellari solet. *Minora frustula* inter basin & cornua superius collocata à *Verheyen* aliisque nonnullis appendices cartilagineæ dicuntur, sed in adultis ut plurimum vera ossa sunt, magnitudine & crassitie, imo tota figura semina tritici æmulantur, uti exemplar, quod apud Virum Magnificum, Excellentissimum atque Experiensissimum D. D. HEISTERVM vidi, testatur, unde ossa triticea nominari possent. Et cornua & hæc ossicula interventu cartilaginis ligamentorumque cohærent cum basi, atque peculiari motu donantur, hinc pro distinctis ossibus, non pro epiphysibus, merito habentur. Minora illa ossicula, quoniam in junioribus sæpe adhuc cartilaginea sunt, & alias in mundificatione

tione ossis hyoidis, propter exiguitatem facile auferuntur, hinc factum forte est, ut a multis Anatomicis neque inventa neque descripta sint. Præterea notandum, quod ossiculorum horum minorum quodlibet interveniente ligamento tereti, (quod interdum cartilagineum est) adunatur processui styloidi, ejusdem in quo situm est lateris: quo fit, ut firmior longe sit linguae nexus, atque ad neutram partem se distrahi nimis patitur. Aliquando hoc ligamentum non solum cartilagineum, sed etiam per intervalla osseum fit, ita ut tria in quolibet latere ossicula oblonga primum a *Vesalio* deinde & ab aliis notata sint, qui propterea undecim ossis hyoidis frusta numerant; verum huic opinioni assentire non possumus, quia id, quod rarum est, pro consueto & ordinario non venditandum: nam rarum est videre illa ligamenta cartilaginea, rarius in his ossicula, rarissimum vero distinctum ossiculorum numerum annotare, hinc melius est ordinariam sequi constitutionem, etiam si *Casserius*, *Valverda* aliquique in tabulis suis delineationem *Vesalii* secuti sint. Præter connexionem cum lingua, jungitur quoque variis Laryngis partibus, ope membranæ crassæ & quasi ligamentosæ, quæ cum membrana oris continua est. Tandem cornuum hujus ossis apices interveniente cartilagine & ligamento tereti junguntur cartilaginis scutiformis processibus superioribus. Figura igitur & situs hujus ossis efficiunt, ut quamvis lingua ante laryngem & pharyngem sita sit, ea tamen minime respirationem vel deglutitionem impedit: linguae enim basis punctum fixum, sicut alii musculi, in osse quodam habere debuit: illud habere non potuisset, si hoc os abesset, nisi in vertebris colli vel capitis parte inferiore, atque sic lingua vel ad vertebrales vel ad cranium se extendere debuisset, (quod docet cognitio vicinarum partium) hoc si factum fuisset, necessario laryngem & pharyngem obtegisset, deglutitionem respirationemque impedivisset, quod hujus ossis commo-

do situ & figura præcavetur. Ex quibus patet usum hujus ossis longe esse majorem, quam vulgo ab illis existimatur, qui mechanicam partium corporis nostri structuram, non exacte satis considerant, aut penitus vilipendent.

*Musculi
ossis hyoi-
dis.*

§. 5. Denique etiam os hyoides, *ope muscularum cohæret* cum apophysibus styloideis crani, maxilla inferiori, sterno & scapulis, à quibus musculis varie movetur, & hi motus linguæ actioni succurrunt, (hinc alias hujus ossis insignis innotescit usus) nam cum lingua tanquam pars mobilis, juncta est huic ossi, sequitur etiam illius motum. Nomina muscularum ossis hyoidis Græca sunt à principio & fine, seu à termino à quo & ad quem ipsis imposita, & quinque illorum numeramus paria, quorum brevem sed accuratam descriptionem dabimus. Primum par, quod remotis integumentis communibus sub mento & musculis biventribus in conspectum prodit *Mylohyoideum* appellatur; (k) oritur principio largo sed tenui, à facie interna & anteriori maxillæ inferioris infra dentium radices, seque extendit à radicibus dentium incisorum usque ad tertium molarem, moxque ejus fibræ obliquo ductu in angulum coëunt, cuius apex inseritur ossi hyoidi circa conjunctionem basis cum cornu, a quibusdam geniohyoideum *externum* vocatur. Alterum par *geniohyoideum* proprio dictum, proximè sub præcedente situm, oritur quoque ex interiori maxillæ inferioris facie, sed angustiore principio, & solum infra dentes incisorios, in ipsa synchondroſi, inde recta descendit & inseritur parti superiori basis ossis hyoidis. Tertium par *stylohyoideum*, oritur à processus styloidis extremitate, & inseritur basi ossis hyoidis in latere, ubi cum cornubus jungitur: ventrem hujus musculi perforat musculus digastricus maxillæ inferioris. Recensita tria paria, quando simul agunt, radicem sive basin linguæ attollunt & antrorum trahunt, sicque orificium œsophagi dilatant,

ut

(k) Conf. Vesling. tab. XI. fig. XIII. Bidloo Anat. Tab. 15.

ut eo facilius bolum deglutiendum suscipere possit, si unus vel alter horum musculorum in uno tantum latere trahit, os hyoides oblique ad latus movet, & cum hoc simul linguam. Quartum par *sternohyoideum* ortum partim ex sterni parte superiori & interiori, partim ex interiori parte claviculae, ubi cum sterno articulatur, & quandoque etiam ex ipsa costa superiori, largo satis principio, ascendit mox sub cute super asperam arteriam, glandulam thyroideam vel cartilaginem scutiformem laryngis ad oshyoides, terminaturque in inferiorem basis partem. In posteriori hujus musculi facie, tendinea quædam inscriptio, ferre ut in musculis rectis abdominis sœpe observatur, notante *Morgagno* (1). Quintum & ultimum par longissimum sed tenuer existit, *coracohyoideum* dictum, oriundum ex incisura quædam costæ superioris scapulæ, mox juxta processum coracoidem, vel ex ipsa costa superiori scapulæ: hinc oblique per collum versus os hyoides ascendens, haud longe ante insertionem, confundit caudam cum præcedente musculo & in eundem locum inseritur. Hic musculus ut plurimum, ubi mastoides capitis flexor, ipsi incumbit, tendineus est, atque sic biventrem musculum repræsentat. Hæc duo musculorum paria, si simul agunt, antagonistæ sunt trium priorum, radicem linguæ deorsum & retrorsum movendo, sicque deglutitionem juvant, bolumque in fauibus hærentem in œsophagum protrudunt. Quando hi musculi in uno tantum latere agunt, in primis quando *coracohyoideus* hoc facit, os hyoides & simul linguam oblique deorsum trahit.

§. 6. Progredimur jam ad ipsius *linguae structuram & usum* Lingua examinandum, ubi ante omnia notamus molem ejus seu *corpus* præcipue ex musculosa constare substantia, quæ triplici cingitur involucro, quorum primum membrana externa, alterum corpus reticulare, tertium corpus papillare nervosum appellatur.

(1) *Adversar. Anatom. Tab. II.*

(1.) exte- tur. *Exterior membrana* est membrana in homine mollis, po-
 rior mem- rosa & tenera, innumeris papillulis seu tuberculis plena, quæ
 brana. tubercula oriuntur à papillis nerveis subtus latentibus & exi-
 guis foraminulis sive poris pertusa conspicuntur in lingua ex-
 ferta hominis vivi & sani; imprimis hoc appareat, si linguæ api-
 ci exerto cujusdam sapidum quoddam corpus applicetur, at-
 que jubeamus hominem illum accurate gustare, tunc alter si
 beneficio boni microscopii apicem illum exsertum prudenter
 aspiciet, eminentias illas, ac foraminula in illis pulchre obser-
 vare, & simul quod papillæ illæ e lingua ad similitudinem cor-
 nuum limacum nunc protrudantur seu erigantur, nunc retrahantur, notare poterit. Protruduntur autem, quando distin-
 ëte gustare volumus, e contrario retrahuntur seque subdu-
 cunt, quando objectum acrius ipsis applicatur. Idem quodam-
 modo in nobis ipsis loco claro in speculo attendere possumus,
 si linguam paululum exsertam dentibus leniter comprimamus,
 sapidumque admoveamus. In ægris & mortuis hæc fere dis-
 parent & vix amplius conspicuntur, quoniam partes omnes
 ergo & papillulæ tunc flaccidæ sunt, vel muco tenaci, pituita
 aut colore quodam præternaturali, flavo, fusco, nigricante &c.
 obductæ. Cæterum illæ papillulæ, si sine cautelis descriptis,
 & obiter tantum considerantur, adeo exiguae sunt, ut villos
 quasi tantum repræsentent. Præterea figura harum papilla-
 rum in lingua humana non tam manifeste sine microscopiis ob-
 servatur, quam in brutis, in quibus ut plurimum multo majo-
 res sunt: pars illarum pyramidalem figuram obtinet, aliæ glo-
 bulum in apice gerunt, corniculis limacum vel capitulis acicu-
 larum haud absimilem, uti in lingua vitulina & bubula mani-
 festissimum est. In quibusdam animalibus hæc tunica dura ac
 quasi cartilaginea existit, ut in bobus, felibus & cum primis in
 leonibus, & in homine atque aliis animalibus capsulas seu va-
 ginulas quasi efficit, quæ papillas nerveas corporis papillaris
 ner-

nervosi, infra describendi, includunt, defenduntque ab injuriis & doloribus, quos Salia aliaque acria aut aspera, quæ in os immittuntur, ipsis inferre possent. In inferiori linguae parte, haud procul ab apice, membrana hæc tenuior & magis glabra est, quam in superiore parte, nullis amplius papillulis seu tuberculis conspicuis, ibique hanc ob causam lingua vix amplius sapores accurate percipit.

§. 7. Altera tunica mox sub priori sita, *Corpus sive membrana reticularis* dicitur, innumeris perforata foraminulis cri-^(2.)pus reticulare. exigui seu reticuli ad instar, (unde nomen accepit) humo-
realbicante vel flavescente semper tincta; Membrana hæc adeo tenera est & muco obsita, ut vix nisi cocta rite demonstrari examinarive possit: Coctione enim induratur & firmior fit, ita ut postea in lingua bubula aut vitulina facile tam ab externa membrana quam a mox subjacente corpore nervoso separari & perlustrari queat. Per hæc foraminula papillæ nerveæ è corpore nervoso in vaginulas sive tubercula exterioris membranæ⁽⁶⁾ transeunt. Præterea reticularis hæcce tunica in superiori facie, ubi externam membranam tangit, albicans seu leviter flavescens conspicitur; inferior autem facies linguam respiciens, nigricans sive cineritium colorem obtinet. Nonnulli descriptam modo membranam pro membrana non agnoscunt, sed eam nil aliud esse ajunt quam mucum coctione induratum, eodem modo ac serum vel albumen ovi coctione indurari possunt, neque etiam, meo quidem judicio, a scopo multum aberrant; imo in lingua humana (forte ob subtilitatem) demonstrari non potest, teste *Ruyshio* (*m*) quamvis à plerisque promiscue linguae tam bubulae quam humanæ tribuantur ab Autoribus. Attamen quoniam cocta in multis animalibus perfectam repræsentat membranam, plurimique recentiores Anatomiæ eam pro membrana agnoscunt describuntque,

etiam non dubitavi eam ad membranas linguæ referre. Miror autem *Verheyenum*, quod hujus membranæ reticularis & corporis papillaris mox describendi nullam mentionem faciat ac si Malpighii, Fracassati & Bellini scripta nunquam legisset aut vidiisset, sed obscuram atque inconcinnam potius eorum exhibet descriptionem, quam hic refutare jam non vacat.

(3.) *Corporis papillaris nervosi.*

§. 8. Proxime sub reticulari hac membrana *Corpus papillare nervosum* in conspectum prodit, quod notabili satis crassitie totam faciem superiorem & partes laterales linguæ ambit, in inferiori autem parte, sensim sensimque disparet, & vix amplius vel penitus non appetet. Nervosum appellatur, quoniam nervi linguæ in illud desinunt & papillas efficiunt, sicuti experimentum *Bellini* (*n*) probat, quo nervus a musculosa substantia liberatus hamulo leniter trahatur, papillam continuam profunde retrahit, confirmante id *Bohnio* (*o*) totumque hoc corpus videtur expansio horum nervorum, atque hinc verum ac proximum gustus organum existit. Papillare vero dicitur, quia fibræ nerveæ parvas eminentias conficiunt, quæ ob qualcunque analogiam cum papillis, papillæ quoque appellatae sunt: idcirco cum innumeræ tales in hoc corpore conspiciantur, papillare à *Malpighio* dictum est. Papillas vero corpus hoc componentes, ob diversam figuram duplicis generis esse existimamus, sicuti vel nudo oculo in primis in bobus vel melius adhuc microscopiis observare licet; pleræque autem pyramidalem figuram referunt ex ampliori principio in apicem desinentes, hinc pyramidales dictæ, & hæ primum genus constituunt: nonnulli cum *Malpighio* pyramidales in duo genera in majores & minores dividunt, verum cum differentia à sola magnitudine desumpta exigui sit momenti, data opera distinctionem illam omisimus. Alterum vero papillarum genus, surgit eo-

(*n*) de Galtus organo cap. 14.

(*o*) Circulo Anat. Progymn. 24.

dem modo, ut pyramidales, verum in apice gerunt globulum seu capitulum quoddam rotundum, corniculis limacum emisilibus ex *Malpighii* comparatione, (vulgo den *Schneckenhörnern*) haud absimilem, vel capitulis fungorum terrestrium, sicut à Bellino (*p*) describuntur, ob quam figuram papillæ capitatae dicuntur, & præcipue circa apicem linguæ, ejusque latera copiosius observantur, ubi exactiori gustu pollemus. Omnes hæ papillæ per membranam reticularem transeunt in eminentias sive tubercula primæ, hoc est, exteriores membranæ, quæ ut (*6*) dictum, cava sunt, ut papillas corporis nervosi in se recipere & ab injuriis externis acrorum vel asperiorum corporum, quæ in os immittuntur, defendere tuerique possint. Nulla linguæ pars meliori cum ratione *organum* gustus statui potest, quam corpus hoc nervosum papillare: nam sicuti 1.) aliis in partibus nervi sem corporis. per sunt organa sensuum, ergo & hic erunt, 2.) propter analogiam cum papillis nerveis cutaneis: sicut enim hæ sensus tactus præcipuum organum sunt, ita papillæ linguæ sensus gustus organum erunt primarium. 3.) Quoniam papillæ linguæ, quando exacte gustare volumus, tenduntur erigunturque supra linguæ superficiem; & quando acriora linguæ admovemus, papillæ illæ se retrahunt & quasi se abscondunt intra linguæ substantiam, ne rudius ab iis afficiantur, ut (*6*) afferuimus: propterea illæ partes, quæ in debiliori sapore se erigunt, in fortiori vero se retrahunt, *pro gustus vero & proprio organo optime haberis posse censeo*, præsertim cum nulla alia linguæ pars huic usui aptior videatur. *Galenus* quidem tunicæ per linguam expansæ, hoc officium adscribere videtur (*q*) & *Bauhinus* (*r*) aliique internæ spongiosæ carneæ substantiæ linguæ hoc munus tribuunt; verum rationes modo datæ contrarium evin-

(*p*) cap. XIII. de Gustus organo. (*q*) L. 4. de loc. affect. cap. 2.

(*r*) L. 3. Theatr. Anat. cap. 9.

evincunt. Neque omni linguae parti æqualis gustandi vis inest, sed excellit hæc vis in apice: hinc quæ accurate gustare volumus huic admovere solemus.

De Gustus §. 9. Sed dum modo organum gustus proprium descripsimus, commodissime hoc loco addi posse arbitramur pauca, quæ ad objectum gustus attinent. Hoc constituunt sapores. Quæritur autem, quid sapores efficiat? Hoc vulgo esse ajunt sal quodcumque, sive purum & per se tale, sive conjunctum cum particulis aqueis oleosis aut terrestribus in corporibus quibuscumque, quod vel jam solutum, dum in os ingeritur, vel ibidem à saliva solvitur, papillas nerveas vellicando, sensum gustus in nobis excitat. Hoc probant cinerum exemplo, qui ex sale & terra constant: Si sal omnis ex iis per aquam educitur, atque terra reliqua linguae imponitur, nullum excitabit saporem; dicunt deinde prout illa vellicatio seu titillatio blandior, eo saporem quoque magis esse gratum & acceptum; si vero vellicatio illa rudior esset, aut nimis fortis, saporem ingratuum & adversum, imo dolorificum in nobis produci; Cæteroquin saporum diversitates ajunt provenire vel ex diversa salis cum aliis particulis mixtura, vel ex diversa salium figura per microscopia cognita. Nos quidem in operandi ratione cum illis convenimus: verum non solum salia, sed etiam olea multa & spiritus pro objectis gustus non sine ratione haberi posse arbitramur, atq; illud inde constare putamus, quoniam illæ partes tam animalium quam vegetabilium, cibos potusve sapidos constituentes, in olea, salia & spiritus converti possunt, hinc in oleis destillatis vegetabilium odorem & saporem præstantissimum & eminentissimum v. gr. cinamomi, caryophyllorum, anisi, rosmarini &c. non à sale paucō, quod in eis reperitur, sed magis ab oleo aromatico pendere persuasi sumus; si enim salia illarum plantarum ab oleo depurantur, saporis etiam multum amittent. Sic spiritus ex vino vel aliis fermentatis parati, sapidis-

simi

simi sunt, profecto non propter paucam illam salis copiam, quam continent, sed præcipue propter particulas suas spirituosas, à salinis diversas, quæ foraminula exterioris linguae membranæ penetrantes, papillis nerveis applicatae, eas stimulando sensum saporis excitare valent.

§. 10. Hinc jam explicari potest, quare *sapidissima objecta phænomena dolorifica*, si paulo majori copia linguae applicantur: nimirum na circa quia vehementius papillas nerveas stimulant atque irritant; *gustus ob-*
contra autem illa, quæ minus acria sunt, quam saliva nostra jecutum.
nobis insipida dicuntur; Saliva enim sani hominis, quamvis omni acrimonia non sit destituta, ut varia phænomena docent,
tamen non percipitur sapida, quoniam papillæ ea assuetæ sunt;
idcirco, quæ similem vel minorem adhuc habent acrimoniam,
quam saliva, ut aqua & terra purissima, oleaque non nulla ex-
pressa lenissima, dum papillas nerveas satis vellicare non va-
lent, insipida pronunciamus, nihil enim gustamus, nisi quod acrius est saliva nostra. Placet etiam hoc loco adhuc inqui-
rere, cur pueris atq; fæminis plerumque dulcia, ut vina dulcia, Cur pueris
hydromel, fructus horæi dulces, saccharata &c. viris autem & fæmi-
acriora, ut vina rhenana aliaque similia, ut & cibi sale, aro-
matibus, raphano rusticano, limoniis, capparidibus &c. con-
diti aut præparati præ duleibus magis arrideant. Hujus phæ-
nomeni rationem credo diversam in diversis papillarum ner-
vearum constitutionem; in pueris enim fœminisque, cæteris pari-
bus, eas, (ut totam reliquam corporis constitutionem) teneriores
esse existimo, quam in viris & senibus, hinc acriora sine dolore aut
sensu molesto ferre non possunt, sed cum dulcia blande afficiant &
quasi titillent, gratum gustus sensum in illis excitant, hinc infantibus
nihil nisi blanda & dulcia, lac & saccharata placent; è contra-
rio viri & senes quoniam papillas habent duriores & callosiores
lenem dulcium stimulum non sentiunt, ideoque ea ipsis non
placent, quia inde non afficiuntur, sed acriorem desiderant:
Temperies tamen tenerior aut robustior & consuetudo efficere

possunt, ut interdum senes ratione gustus sint quasi pueri, & viri quasi foeminæ, ac vice versa. Sic Germani, qui vinum Rhenanum, Franconicum aliaque similia acidiuscula bibere assueti sunt, raro amant vina Hispanica, Gallica aliave dulcia; contra illæ Nationes, quæ vina dulcia bibere consueverunt, saporem vini Rhenani aversantur, & ingratum pronunciant, quia rudius illorum linguam afficit, dulcibus aut blandioribus assuetam.

Linguæ §. 11. Oportet jam, ut jam redeamus ad descriptionem *musculi*. structuræ linguæ, cuius pars reliqua, postquam jam descriptæ ablatæ sunt, maxime est *carnosa* sive *musculosa*, si tantum glandulas sublinguales dictas excipiamus, attamen caro sui generis & laxa, cui similis non datur in corpore: atque illa musculosa pars maximam linguæ molem & quasi corpus ejus constituit. Autores autem magnopere discrepant in numero muscularum linguam componentium; nam nonnulli musculos ossis hyoidis cum linguæ confundunt, eosque in communes & proprios dividunt, & sic octo, novem, decem imo plura numerant paria. Alii muscularum linguæ priorum paria sex, alii quinque, alii quatuor, & quidam tantum tria reapse distincta paria statuunt. In tanta igitur Autorum discrepantia quid eligereim, hæsitasse, nisi ex dissertatione VIRI Excellentissimi DN. D. HEISTERI, Præceptoris atque Patroni summe colendi (*s*) certior factus fuisse, quod musculi linguæ à nemine melius quam à Celeberrimo Anglorum Anatomico Guilielmo Gowpero (*t*) descripti atque ad vivum delineati essent. Hic autem tria tantum paria propria, nomina à principio & fine recipientia, describit, quorum primum vocat *genioglossum*, ortum ducens maxime sub geniohyideo supra descripto, ab interiori menti parte, & inseritur medio linguæ, fibras per totam linguæ substantiam dispartiens: hinc ratione ortus & insertionis, linguam versus

(*s*) de Masticatione pag. 34. (*t*) in Myotomia reform.

versus anteriora & extra os trahere valet. Alterum par *ceratoglossum* appellat, partim à basi, maxima autem parte à cornibus ossis hyoidis, largo carneo principio oritur, unde etiam a nonnullis basio-ceratoglossum vocatur, & inseritur parti mediæ ac laterali linguae, à nonnullis pars illa, quæ à basi oritur, separatur à reliquo & basioglossum appellatur: verum exacte cohæret, ut merito pro uno muscularum pari habendum sit, nisi entia præter necessitatem multiplicare velimus. Si ambo hi musculi ceratoglossi simul agunt, priorum sunt antagonistæ, id est, retrahunt linguam versus fauces; si alter horum muscularum solus, eam ad latus movet. Tertium par *styloglossum* audit, cuius origo est in processu styloide cranii, progreditur oblique versus linguam, & inseritur in latus linguae. Uſus hujus paris fere convenit cum præcedente, si enim uterque styloglossus simul agat, retrorsum trahit linguam & simul paulo sursum, (quæ actio in deglutitione usum habet, ut supra jam dictum est,) si alter solus, ad latus eam dicit. Præter autem tria illa muscularum paria, lingua innumeræ adhuc obtinet musculosas fibras rectas sive longitudinales, perpendiculares & obliquas duplicitis ordinis sibi invicem impositas, chiasmum facientes, aliasque, quæ vario atque mirabili contextu sibi invicem ita implicantur, ut nullus adhuc Anatomicorum earum plexus accurate resolvere potuerit, ut in lingua quadam cocta indaganti facile appareat, atque inde varium mirificumque ejus motum ac voluntatem pendere arbitror, qua ampliari, contrahi, abbreviari & prolongari potest, qui motus a solis illis muscularis deduci aut expectari haud possunt. Denique notandum, quod recensitis modo muscularis *Verheyen* addat exiguum quoddam par tenue admodum & breve, quod *chondroglossum* appellat; hoc oriri asserit a processibus cartilagineis ossis hyoidis & inseri in medium basis linguae. Alius adhuc paris mentionem facit *Spigelius*, (& nonnulli hunc sequentes) cui nomen dedit *Myloglossi*.

quod etiam Verheyen se vidisse putat: verum cum hæc duo pars obscure sint descripta, & ab exactioribus Anatomicis non inveniantur; etiam *Marchette* (*u*) illud omnino rarissimum esse testetur, malui eorum descriptionem hic omittere, cum non ordinario, sed potius ex lusu quasi naturæ quandoque adesse videntur. *Basioglossum*, quod etiam vulgo ab Autoribus describitur, à basi ossis hyoidis oriundum, cum non sit nisi exigua pars ceratoglossi, à *Cowpero* aliisque recentioribus Anatomicis pro peculiari pari non habetur, ut supra monuimus.

Glandulæ §. 12. Denique in superficie linguæ etiam exiguae conforamina spiciuntur glandulæ, quæ in corpore nervoso radicari videntur, & in primis circa radicem sunt conspicuæ, in medio porum excretorium obtinentes, hæc plerumque in lingua sana, magnitudinem seminis milii non excedunt, attamen quandoque maiores conspicuntur, sicuti à *Morgagno* Adversor. Anat. (*v*) delineantur, imo Experientissimus Dn. D. HEISTERVS possidet delineationem linguæ hominis inflammatione fauicium mortui, in qua has glandulas circa basin linguæ, quasdam milii, quasdam vero lentis magnitudine observavit & delineavit, in quibus omnibus ductus excretorius in medio manifeste conspiciebatur. Videntur hæ glandulæ secretioni liquidi salivalis destinatae. Præter glandulas in parte linguæ postica foramina sæpe occurunt, stylum non raro admittentia, *Fracassato* (*x*) *Bartholino* (*y*) & *Schelhamero* (*z*) jam observata, & tandem etiam à *Morgagno* tanquam nova loco citato annotata sunt, eaque foramina aliosque poros linguæ spirituosam aut subtilem assumtorum materiem subire posse existimamus, & beneficio horum subitaneam sæpe refectionem fieri debilium, quando spirituosa adhuc in ore sunt. *Pinguedo* etiam musculos

(*u*) *Anatom. Cap. de lingua.* (*v*) *Tab. I de lingua.* (*x*) *Anatom. Cap. de ling.* (*y*) *in programm. Anatom. pag. 6. tractatui de humoribus addito.*

Iosis fibris in primis circa radicem interjecta est, quæ lubricationi & emollitioni inservire videtur ob motus facilitatem.

§. 13. Restat, ut adhuc describamus, tanquam linguæ par. *Glandulae* *sublinguales*, *glandulas sublinguales dictas & vasa linguæ*. *Glandulae sublinguales* sunt glandulæ ex conglomeratarum, ut vocant, *guales*. genere, satis notabiles, sub inferiori & mediæ linguæ parte sitæ, mox post frænulum linguæ, sub musculo mylohyoideo, pollicis circiter habentes longitudinem, & minimi digiti latitudinem, coloris ejusdem cum parotidibus & maxillaribus. Quævis harum glandularum ductum habet excretorium, in boibus, ursibus, leonibusque satis insignem, imo & in vitulis satis conspicuum, qui sub papilla quadam juxta dentes incisores maxillæ inferioris, eodem fere loco, ubi ductus salivalis *Warthonianus* in os hiat, peculiari ut plurimum orificio se manifestat. In homine autem, equo, cervo & lupo, ductus hic proprium in ore orificium non habet, sed lympham suam salivalem in *Warthonianum* exonerat (*a*) & inde in os per orificium infundit. *Ruysschius* (*b*) tamen notavit, ductum *Warthonianum* modo alterutrum modo utrumque tribus in locis salivam infundere ori, adeoque à latere frænuli tria sæpe oscula hiantia deprehendit. Hic ductus salivalis à celeberrimo *Rivino* in vitulis primum fuit observatus & descriptus in dissertatione de *Dyspepsia*, quæ Lipsiæ prodiit Anno 1679. atque hinc merito ductus *Rivinianus* nominandus. Post quinque autem demum annos nempe Anno 1684. *Caspar Bartholinus* de ductu salivali hactenus, (ut putavit) non descripto observationem anatomicam *Haffniæ* edidit in 4to, quæ Anno 1685. in 8vo Ultrajecti fuit recusa, in qua descriptionem hujus ductus ejusque delineationem dedit, quomodo in leæna illum observavit. Cum autem hoc scriptum in plurium manus venisset, quam

(*a*) *Warthon de Glandul. cap. 21. p. 120.*

(*b*) *Thesaur. Anatomi. I. p. 25.*

Dissertatio *Rivini*, ab exteris Bartholinus pro inventore habitus est, imprimis cum hic *Rivini* nullam fecerit mentionem, & propterea *ductus Bartholinianus* ab illis appellari solet. Utrum autem Bartholinus sciverit prius *Rivini* inventum nec ne, decidere non audeo; fieri enim potest, ut unus aliquid inveniat tanquam novum, de quo antea nihil scivit, cum tamen res illa apud alios jam nota fuerit. Videtur quoque *Verheyen* hoc ignorasse, cum nullam neque *Rivini* neque *Bartholini* faciat mentionem.

Vasa linguae. §. 14. *Vasa linguæ* sunt arteriæ, venæ & nervi. *Arteriæ* sunt rami carotidis externæ tam dextræ quam sinistræ, quæ supra laryngem ex dictis carotidibus emergunt, quarum altera dextram, altera sinistram linguæ partem ingreditur, & sic per totam linguæ substantiam ramulos suos distribuunt, ac per varias anastomoses inter se communicant. Existimarunt quidem olim lineam illam medianam linguam ita dividere, ut vasa unius lateris non communicent cum alterius lateris vasis, sed injectiones communicationem nos docuerunt. Eodem modo *venæ linguales* e jugularibus externis oriundæ per totam linguam disseminantur, sanguinemque superfluum e lingua reducunt ad dictas jugulares. Ramuli autem linguales satis conspicui, qui sub apice in conspectum veniunt, & in linguæ fauciumque affectibus inflammatoriis secari solent, *raninae* appellantur. Tandem *nervos* quoque habet lingua a dupli cerebri pari, tam pro sensu gustus, quam pro motu ejus exercendo. Primum rami sunt a tertio ramo quinti paris *Willisi* satis insignes, a quibus, quoniam gustui famulari præcipue existimantur, totum par gustatorii nomen recepit: ramuli enim ejus ex *Malpighii*, *Bellini* aliorumque observationibus usque in papillas nerveas excurrunt, quæ gustus proximum organum constituant. Ex hujus paris nervi absentia *Reald. Columbus* (c) mirabile

rabile exemplum in homine quodam vitrivorace observavit, qui, ut ait, nullum prorsus gustum per totam vitam habuit, nullam in edendo voluptatem, nihil jucundum persentiebat: insipida, amara, dulcia, pingua, salsa, acria, non distinguebat, vitrum, saxa, lapides, ligna, viva animalia, carbones, pisces è vivario extractos adhuc salientes vorabat, vorabat lutum, lineos laneosque pannos, fœnum, stipulam, &c, ut brevi omnia complectar, quicquid homines, quicquid animantia vorant, quicquid illi edendum seu deglutiendum potius offerebatur, mercede proposita, dictum ac factum ingurgitabat, imo & sacculum cum carbone refertum & saccum insuper devoravit. Alterum nervorum par, quod lingua recipit, ex Willisi computatione nonum cerebri existit, atque linguale seu linguæ motorium nuncupatur, quoniam potissimum per musculos linguæ disseminatur, atque sic motui linguæ inservire putatur. Utrumque autem par & motum & gustum juvare, verosimilius est, quia inter se communicant. Denique ab octavo pari etiam ramuli ad os hyoides abeunt. *Vasa lymphatica* a nullo adhuc Anatomico observata reperio.

§. 15. Recensitis omnibus partibus, quæ ad linguæ compositionem concurrunt, superest, ut jam *de usibus ejus quoque guæ.* dicamus, qui profecto longe plures sunt, quam ab Autoribus vulgo describuntur. Primus & præcipuus *loquela* mihi videatur, ob quam animi cogitationumque nostrarum interpres, sive *ψυχῆς ἀγγελος* appellatur, quoniam sermonis primarium instrumentum est: qui enim lingua destituuntur, misere admodum, & vix aut prorsus non, quoscunque etiam gestus aut signa adhibeant, recte cogitata sua nobis significare possunt. Neq; nos moratur, quod quidam sine lingua locutos fuisse perhibeantur, Riolan. (d) & Barthol. (e) cum hoc extraordinarium, & potius cre-

brior

(d) Enchir. Anat. L. IV. cap. XII.

(e) *Anatomia cap. de lingua.*

brior observatio tales mutos esse testetur: imo si in quibusdam strictius tantummodo est ligata, ut moveri rite nequeat, non nisi corrupte loqui possunt. Igitur dum loquelam perficit, egregium me hercule nobis usum præstat, quamvis non raro quoque ob eandem noceat: hinc *Pittacus* scribit, linguam esse maximum bonorum & malorum instrumentum, ὅργανον μὲν αἰσθῶν, ὅργανον δὲ κακῶν μέγιστον, & *Anacharsis* rogatus, quid esset in homine pessimum, quid optimum? sapienter respondit, Lingua: *Barlaus* quoque (f) ita canit:

*Quam noceo, quam prosum eadem sum pessima rerum
Optimaque:*

Imo Cicero pro Flacco cap. 23. ait linguam quasi flabellum esse seditionis; quilibet tamen prudens facile capit, hoc non de usu, sed potius de linguae aut loquelæ abusu esse intelligentem. Secundus usus est gustus primarium esse instrumentum beneficio papillarum nervearum, quicquid enim accurate gustu explorare volumus, lingue applicandum est, & præsertim apici, ubi papillæ egregie eminent, tunc sapor proprius hujus vel illius corporis percipitur, sicut hoc jam supra (8) probatum est; Interim non negamus, gustum etiam aliquomodo in palato & uvula exerceri: nam medicamenta in uvulæ morbis ipsi applicata, ut mel, piper, alumen &c. ipso applicationis momento cognosci & gustu distingui possunt. Sic etiam existimo gustum per œsophogum adhuc aliquo modo continuari, dum deglutimus, forte autem idea illa in nobis oritur à particulis sapidis in lingua adhuc hærentibus.

Tertius usum nobis præstat in masticatione, dum enim cibi solidi a dentibus divisi, & in cavum oris prolapsi, sponte iterum dentes non subeant, lingua præsto est, quæ volubilitate sua eos rursus eo repellit, ut ibi ulterius diffringi & comminui possint, donec tandem satis manducati commode deglutiri queant. In deglutitionis

(f) in *Miscellan.* lib. II.

nis autem actu quartum usum perficit: primo enim cibos deglutiendos versus fauces propellit, deinde elevatione linguae radicis ossisque hyoidis pharynx ampliatur, ut eo facilius cibi intrare queant, postea vero descensu suo, cibos, pharyngem semel ingressos protrudit in œsophagum, Boerhaav. (g) Quinto lingua in suetione etiam egregie prodest, infantes enim, quibus lingua frenulo arctius ligata, ut eam sufficienter exserere, mammarumque papillis applicare nequeant, lac sugere non possunt, quod mulierculis e vulgo etiam notissimum est. Sexto quoque expulsioni salivæ, muci, aliarumque rerum ex ore rejiciendarum inservit, quod observamus, quando simile quid ex ore expellere conamur, tum enim exserimus linguam extra labra, & subito rursus retrahimus, simulque aërem vehementer explodimus, sic una ejicitur illud, quod extrudere volumus, atque hanc actionem sine linguae insigni motitatione fieri non posse, quilibet facile in se ipso experiri poterit. Septimo salivæ in os influxum promovet. Hoc percipimus, quando os magno nostro incommodo subinde siccum est, præsertim dum noctu evigilamus, vel etiam alio tempore; tunc ut humidum fiat, hinc inde motitamus linguam, stimulantur sic & concutiuntur glandulæ palati, genarum, labrorum & sublinguales, imo ductus excretorii Warthoniani & Stenoniani, unde brevi percipimus salivæ in os influxum, orisque humectationem. Eundem etiam nobis usum præstat in masticatione, ob digestionis commodum in ventriculo: ibi enim, quia lingua in perpetuo motu, hinc eo ipso copiosior salivæ affluxus & commixtio cum alimentis in ore promovetur, sine qua eorum digestio in ventriculo rite perfici nequit. Octavo in animalibus nonnullis, ut bobus & vaccis exterior linguae membra na eminentias duras & cartilaginosas quasi obtinet, retrorsum reflexas, & hamulos seu uncos repræsentantes, qui, quoniam

D

hæc

(g) Instit. §. 48.

Nonus hæc animalia superioribus dentibus carent , graminis aliisque pabuli apprehensionem & retentionem facilitant ; prehendunt enim gramen inter linguam & palatum quoque asperum & quasi hamatum , atque sic dum morsu illud resecare non possunt , evellendo illud decerpunt . Nonus linguae usus est lambere , id quod non solum in cibo capiendo usu venit , sed etiam in vulneribus sanandis , ita enim Eduardi Regis Anglorum venenata vulnera uxor Eleonora curavit , teste Bartholino . (b)

CAPUT II. PATHOLOGICVM

*Morborum linguae naturam , causas & signa
breviter delineans.*

*Morbi
varii lin-
guæ.*

§. 16. **M**ulti iisque gravissimi sunt morbi , qui linguam affigere solent , sic ut vix integer liber ad eos pro merito explicandos , multo minus dissertatio academica sufficiat : attamen operam dabimus , ut si non omnes , saltem plerosque & præcipuos pro virili explicemus , atque naturam sive indolem causas & deinde etiam curationem in compendio quodam exhibeamus . Collegit quidem jam plerosque linguae morbos & pathologice pertractavit illustre quondam Academiæ Altorfinæ decus DN. D. J. M. HOFFMANNVS , jam Serenissimi Margravii Brandenburgico- Onoldini Archiater , (i) atque sic a magno labore me jam liberavit , verum adhuc alios , una cum curatione , de qua ille non egit , addemus .

*Magnitu-
do præter-
naturalis
& tumo-
res.*

§. 17. Occurrit autem primointer linguae morbos magnitudo p. n. aucta , loquela , masticationem & deglutitionem impediens , quod vitium aliquando jam in utero materno ob malam conformatio-

(b) Anat. cap. de lingua.

(i) in Disquisitione Anatomico - Pathologica , p. 347.

formationem oritur, sicuti exemplum refertur in Misc. N. C. (k) de infante Holmiæ in Suecia nato, cui lingua ex ore instar canis venatici propendebat. Pariter Lugduni Batavor. in puerilla quadam lingua manus amplitudine ampla crassaque observata est, ut vix ore contineretur, conf. §. 6. & Bartholinus (l): vel etiam post nativitatem supervenit, vitio morbi, sic ut eam in portentosam magnitudinem excreuisse notarint, Galenus, J. Camera-rius, Zacutus & Donatus, ut testatur Bartholinus loco antea notato. Præsertim vero ab inflammatione, vel à pituitoso tumore, vel a scirrho sæpe intumescit, ob stagnationem humorum viscidorum, plus minusve exagitatorum; vel in ptyalismo, præsertim a mercurialibus excitato, vel etiam sæpe ab assumtis venenis. *Inflammatio* linguæ cognoscitur ex signis inflammationis in genere, tumore scilicet, rubore, dolore & calore p. n.; *pituitosus tumor* ex pallore & æstus absentia à priori distinguitur; *Scirrum* adesse novimus ex lapidea quasi duritie, & absentia ruboris & æstus p. n.; qui vero si dolores creat, cancerum facit. *Eminentias scirrhosas*, juglandis magnitudinem excedentes, anteriorem & laterales linguæ partes occupantes, observavit Zwingerus (m). *Tumores & ulcera linguae cancrosa* præter Muys (n) & Gaukes (o) in Nobili quodam Norimbergæ annotavit DN. D. HEISTERVS, in quo à dente curvo linguam pungente malum ortum traxisse videbatur. Cognoscitur cancer ex scirrho prægresso, sub sequente dolore acri, mordente vehementissimo, vel ex ulcere linguæ fœtidissimo, dolente, depascente & remedia travmatica optima respuente. *Verrucas* in lingua excrescentes, haud pridem in Studioso quodam vidit laudatus DN. D. HEISTERVS. Sicuti verò inflammations, ita quoque *abscessus* in lingua & fistulæ oriri possunt,

(k) Dec. II. A. II. ob. 51. (l) Centur. 2. hist. 22. & Anatom.

p. 547. (m) Theatr. Pract. Med. p. 69. (n) Obs. Decad. II. ob. X. (o) Prax. Med. Chir. cap. 38.

prout laudatus Dn. D. Hoffmannus (*p*) ex M. N. C. annotavit,
ubi & *Atheroma* linguae describitur. (*q*)

Ranula §. 18. Peculiaris quoque tumor in lingua quandoque conspicitur, qui *Ranula* & Græcis Ράτραχ dicitur, cuius appellationis ratio non adeo est manifesta: forte quoniam ægri eo laborantes, non articulate, sed coaxando ranarum instar loquantur. Est autem tumor mollis pituitosus imam linguae partem obsidens, venisque, quas raninas appellant, accumbens, juxta frænum linguae à stagnatione humorum crassorum & pituitosorum ortus: cuius apud Chirurgos & Observationum Scriptores multa leguntur exempla, infantibusque præ adultis sunt frequentiores.

Calculi vermes pustulæ. §. 19. Calculos sive lapillos in & sub lingua annotarunt M. N. C. (*r*) Plater. (*s*) Bartholinus (*t*) Zacutus Lusitanus (*u*) & vermes & intra venas sublinguales stabulantes M. N. C. (*x*) Pustulæ etiam sæpe in lingua emergunt, sero acri & nonnunquam quasi urente scatentes, loquela & manductionem imdientes. Lingua duplex. *Linguam duplarem* jam supra (*z*) binis exemplis probavimus. Historiam lingue aride instar ligni immobilis in ore hærentis legere licet ex M. N. C. (*y*)

Vulnera. §. 20. *Vulnera* raro quidem patitur lingua ab instrumentis acutis, secantibus, aut pungentibus, quoniam à dentibus & maxillis tanquam munimentis aut vallis cingitur; verum sæpius à morsu dentium sub lapsu vel convulsionibus graviter vulneratur, & sæpissime à glandibus plumbeis, munimentum illud parum curantibus; & quamvis hæc vulnera per se mortem non facile inferant, sed sæpe tota lingua sine vita excisa a liove

(*p*) l. c. p. 348 (*q*) M. N. C. Dec. II. A. II. obf. 52. (*r*) Dec. II. An. V. & VI. obf. 142. & Append. ibid. pag. 91. Decur. III. An. X. obf. 116. (*s*) Obs. lib. III p. 887. & lib. II. p. 377. (*t*) Anat. cap. de Lingua. (*u*) Prax. Mirab. Lib. I. obf. 78. (*x*) Dec. I. A. VIII. obf. 100. (*y*) Decur. II. An. VI. & VII. obf. 9.

lione modo ablata fuerit, tamen loquela vel tollit, vel saltem valde impedit ac turbat, & pars amissa non facilè restituatur. Quod si vero à dentibus aut sub convulsionum epilepticarum insultu, aut extra easdem sub lapsu aliaque valida dentium collisione intercepta, aut ab instrumentis acutis, sive in longum sive in latum sit diffissa lingua aut perforata, aut portio quædam penitus abscissa, sic tamen, ut reliquæ substantiæ carnosæ adhuc quodammodo in aliqua parte cohæreat, consolidationem quidem rursus admittit, attamen tarde & difficulter sæpe coit, imo sine sutura non facile coalescit, tum ob salivæ copiosum & continuum affluxum, tum præcipue ob linguæ inter loquendum, masticandum & deglutiendum inevitabilem motum.

§. 21. *De ulceribus linguae cancrosis* jam supra facta fuit *Ulcera*. mentio; sed & alia ulcerum linguae frequenter occurrit species, in superficie ejus nec non totius oris, imo & œsophagi instar crustæ albicantis cum insigni ardore se exhibens, quam *aphthas* appellant, quæ à sero viscido plus minus acri & corrosivo in ductulis excretoriis stagnante oriuntur, & quandoque pessimæ sunt indolis, ut mortem post se trahant: imo ab iis tanta aliquando oris putredo observata est, ut in infante ante mortem mandibulæ sponte exciderint, atque caro gangrenosa circa illas excisa fuerit. M. N. C. (z) Oriuntur etiam sæpe *exulcerationes* & dolores in lingua à dentibus inæqualibus, eorumque frustis acutis, quæ nisi auferantur, cancrosa ulcera producere possunt. Sic & *corpora urentia* ulcera linguae producere queunt.

§. 22. Inter *symptomata linguae* notissima deprehenduntur *ejus actiones lœsæ*, nam aboletur vel imminuitur ejus motus, & linguae lœhinc per consequens etiam loquela: sive hoc fiat à mala conformatio-
nē in utero, vel à paralysi, apoplexia, syncope, casu
ab alto, percussione, affectibus animi, ira, terrore &c. dene-

*Loquela
læsa.*

gato spirituum animalium in ejus musculos influxu, qualia exempla multa videsis apud D. D. Hoffmannum; (a) ubi imprimis etiam memorabilis historia recensetur de muto quavis hora prima pomeridiana loquente. Ratione malæ conformatio-nis, linguæ motus sæpe læditur in infantibus à frænulo longiori, den-siori vel justo stric-tiori, sic ut inferiori mandibulæ quasi agglu-tinetur; unde papillas mammarum rite apprehendere non pos-sunt, ideoque nec fugere, ætateque accrescente articulatam loquelandam impedit; sic si frænulum ad apicem usque extendi-tur, motum linguæ & loquelandam quoque impedit. Ad malam conformatio-nem quoque pertinere videtur exemplum, quod haud pridem in puero quinquenni vel sexenni hic vidit Excel-lentissimus D. D. HEISTERVS, qui ne verbum adhuc proferre poterat, sed magis mutus erat quam pîscis, quod aphoniam Græci vocant, in quo quidem nullum vitium in frænulo, ve-rum lingua valde crassa & brevis conspiciebatur. Neque ob surditatem aphonus erat, nam loquentes intelligebat: alias e-nim notum est, quod surdi nati, muti quoque sint, quia sermo homini non est connatus, sed ex auditu acquisitus. Sic etiam loquela aboletur, ob linguam quacunque ratione amissam & mi-raculis accensenda videntur exempla illa pauca, quæ amissa lin-gua loqui potuisse traduntur (15) & apud Jac. Ruland. (b), aut aliud linguæ vicem supplens adfuisse necessum est. Huc me-morabilis historia Tulpiz (c) pertinet, ubi detruncata à Turcis tota illa linguæ parte, qua volubilis est, Juvenis quidam omni voce privabatur per triennium, quæ ipsi postea subito cœlitùs quasi vehementi terrore perfecte fuit restituta: cujus etiam Lindanus & Bartholinus (d) mentionem faciunt. Præterea imminuitur etiam loquela aut depravatur à tumore, ranula, inflammatione, vulneribus aliisque caussis manifestis: id quod etiam

(a) l.c. p. 253. (b) Aglossostomographia. (c) lib. I. obs. 41.

(d) Anatom. cap. de lingua.

etiam fit in balbutie, hæsitantia aut titubatione linguæ : quæ vitia malam conformatiōnem , & aut nimiam amplitudinem, crassitatem, longitudinem aut brevitatem ; frænulum stric̄tius, linguæ nimiam laxitatem aut rigiditatem, vel vitium in nervis ejus pro causa agnoscunt : vel depravatur in motibus convulsivis a terrore aliave causa ortis , quale exemplum ex *Platero* (e) innotuit.

§. 23. Tollitur etiam actio linguæ in *gustu abolito* , dum quidam à natali die gustu destituuntur , quale exemplum jam supra ex *Reald. Columbo* (f) descriptum, qui nullo, dum viveret, gustu erat præditus, & in quo post mortem nervi gustatoriū non ad linguam , sed ad occiput reflexi inventi sunt. In aliis vero gustus aboleri vel minui potest 1) defectu spirituum , hinc in summe debilibus & syncopticis gustus læsus plerumque observatur, obstruktiōne nervorum & papillarum gustatoriū ; vel 2) quando lingua muco viscidō glutinoso , aut crusta præternaturali obsita est. Depravatur verò sæpe gustus, sic ut ægris quibusdam omnia amara , aut salsa , aliis acida , urinosa , nidorosa , aut alio inusitato sapore prædita obseruentur : quod phænomenon præcipue à saliva corrupta , & biliōsis , falsis , acidis , urinosis , aut aliis præternaturalibus particulis inquinata oriri videtur, talem saporem linguæ imprimente.

§. 24. Ad symptomata retentorum pertinent res præter naturam in lingua detentæ , ut humores viscidī , acres in crustas & excretas aphthas tandem desinentes , nec non calculi , vermes &c. item ex frænuli linguæ improvida sectione *Dionis* (h) annotavit.

§. 25. Qua-

(e) Mantiss. obs. III. p. 9. (f) de Lazaro vitrivorace. (14)

(g) Dec. I. An. IV. & V obs. 81. & Dec. II. Ann. III. obs. 12.

(h) in chirurgia cap. de fræn. linguæ.

Qualita- §. 25 *Qualitates denique mutatae*, sub linguae pallore, altes muta- bore, rubore, nigritie, flavedine, asperitate, fissuris, salsedine, tæ lingue. amaritie se produnt; de quorum significationibus, ut & in genere de signis morborum ex lingua petendis, legi meretur
Signa ex libellus elegans Cassulani, (i) cuius præcipua contenta in compendio recenset *Barchusius* (k), quæ digna sunt, ut huc transferantur, antequam prius ex eodem Autore recensuero, quæ ex Hippocrate aliisque veteribus de diagnosi & prognosi ex lingua petenda magno studio collegit, nam revera in praxi scitu sunt necessaria, quoniam lingua seri in sanguine conditionem significat, quales scilicet particulæ in eo abundant, unde multum lucis multis in morbis affulget: nam si flava, bilis redundantiæ; si alba phlegmatis, si rubra, sanguinis; si nigra & exsiccata æstum sanguinis & defectum seri denotat; nam tria merito palmaria signa dantur præcipue humorum peccantium, ut *B. Bruno* (l) loquitur, *urina*, *pulsus* & *lingua*, è trībus corporis regionibus deponita, urina ex infima, pulsus è media, lingua è suprema. Sed progredimur ad signa hæc describenda.

juxta Hip- §. 26. *Vetustissimus Medicinæ Autor Hippocrates*, inquit *pocratem* *Barchusius* (m) memoriæ prodidit, linguam humorum serum, *aliosque Veteres.* quale sit indicare, ac eam, prout aliquis ex humoribus in corpore abundat, alio atque alio colore infici. Exempli gratia, si bilis abundat, linguam fieri pallidam aut flavam, si sanguis, rubicundam: si pituita albam: si atra bilis, nigram. Neque vero dicta cuiusvis humoris copia ex linguae inspectione cognoscitur tantum; sed etiam hæc prout omnifariam fuerit variis in corporis affectibus affecta, prodit qualemque corporis ægrotantis conditionem, ac morbi eventum: verbi gratia, lingua nigricans ardente febrem portendit, quin etsi aliquis tali febri correptus, lingua ejus exasperata finditur & siccatur, colore

(i) de Lingua, morborum acutorum signo. (k) Collect. Medicinæ Practicæ. p. 369. (l) Propyl. Med. p. 119. (m) loco citato p. 365.

colore primum pallida est, at procedente tempore nigrescit. Quod si ea per morbi initia nigrescat, contingunt celeriores; verum si postea, tardiores febris judicationes. Si lingua circa initia fuerit horrida, & in eodem colore perseveraverit, procedente autem tempore exasperetur, livescat, findatur, mortem denunciat. Quod si admodum nigrescat, die XIV judicationem promittit. Perniciem autem maxime minatur lingua nigra, & ex virore pallescens, *in primis denigrata, ubi alvi fluxus simul adfuerit, celerem mortem significat*. Si lingua propter siccitatem densa & aspera, phrenitidem portendit. Si pleuritici lingua circa initia morbi biliosa, is intra septimum diem judicatur; si vero tertio & quarto die taliter constituta, circa nonum morbus finitur. Quod si bulla aliquantum livescens in lingua suborta, qualis ferro candente in oleum intincto fieri solet, siquidem per initia fuit aspera, difficilior morbi continget liberatio & crises ad XIV diem procedent, sanguinem tamen exspuere necessum est. In pulmonis inflammatione lingua primo plerumque flavescit; & deinde nigrescit. Quod si circa morbi initia lingua nigrescat, ocyus morbus finitur, quam si ea tardius nigruerit. Tandem lingua dehiscit, &, si digitum admoveris, adhærescit. Si in peripneumonia lingua tota alba sit ac aspera, signum est ambas pulmonis partes inflammatione vexari; Sin vero dimidia lingua taliter constituta, qua parte appareat, istic loci etiam inflammationem esse. Si in febre linguæ bisulcum albo velut saliva obductum, indicat hæc febris remissionem, quæ continget eodem die, si, quod linguæ adnatum crassum fuerit; si id ipsum tenuius, postridie, si adhuc tenuius perendie. Evidem eadem significantur, si ante dicta circa summam linguam accidunt; veruntamen significatio non adeo certa est, si lingua ita natura comparata est, ut admodum humida sit, significat talis ventriculum itidem humidum esse, eidemque crebro diuturnum alvi profluvium comitari. Si lin-

gua præter rationem mollis facta, & æger ab alvo liquida nau-
feat, sudoreque frigido manat, indicium est vomitionis nigro-
rum instantis. Si lingua tremula & nares rubeant, & alvus
humida, & reliqua quæ circa pulmonem sunt, nullam judica-
tionis significationem præ se ferant, malum est, ac celerum
perniciosarumque purgationum prænuncia sunt. In nonnullis
lingua tremula, alvum fore liquidam denotat: quod si in hoc
casu lingua nigricet, mortiferum est. In aliis lingua tremula,
instabilem mentem seu insaniam portendit. Si lingua dere-
pente incontinens fit, aut aliqua corporis pars attonita stupet,
signum est melancholicum. Si juveni contingat linguæ gravi-
tas, postquam antea humuerit, signum est mortis subitanæ.
Si lingua pustulis referta & partes corporis extremæ frigent,
malum signum est. Si in lingua febrem acutam habentis ap-
paruerint pustulæ, ciceribus magnitudine æquales, significant
hæ ægrum in principio diei sequentis moriturum. Si lingua
ægrotantis instar ovi tumida, aut si tumor linguæ nigrescit,
mortem portendit. Hisce ex *Barchusio* desumptis adhuc ad-
demus ex *Hippocratis* (n). *Anginosi in lingua tumores, citra
signa trans parentes perniciosi.*

e Casulano §. 27. *E Prathè Consulani* libro supra laudato jam quoque
de lingua sequentia vel ab illis prætermissa, vel aliter dicta, juxta *Bar-
chusii* compendium hic addemus. Linguam jubet inspiciendam,
quæ nullo assumtarum rerum colore infecta sit, quæ nec abluen-
do nec detergendo ab immundicie depurgata. Non modo su-
periorem, sed etiam partem ejus inferiorem linguam utpote
inflectendo, esse conspiciendam; atque id clara die, vel, si lo-
cus, ubi æger cubat, obscurus, candela accensa. Tempora
morborum acutorum, putat, ex linguæ inspectione cognosci
posse. Etenim albicantem esse linguam morbi in principio:
pallidam in augmento, flavam vel nigram in statu. Bonum
omen

(n) Coac. prænot.

omen esse, si lingua nec sicca, nec aspera, nec fuliginosa, sed naturæ congruenter fuerit, & quasque sibi familiares actiones, prout usus exigit, perficiat. Malum ex adverso esse, si lingua fuliginosa, arida, aspera, inflammata, tuinida, præsertim si talis præsente animi defectione. Linguam sicciam, asperam vel nigrum in principio febris accessionis denotare cruditatem morbi: aridam sine siti cum ciborum fastidio mortem. Licet fuliginosa siccaque lingua plerumque malis signis annumeretur, se tamen sæpenumero observasse, scribit, (quod & à Majoribus Medicinæ factum) complures ejusmodi linguam in febre acuta habentes in tutum evasisse. Linguam sicciam febrem acutam & sitim inexplebilem denotare. Pejorem esse asperam, sicciam, cuiusmodi habere febre ardente, causon dicta, vel peripnevmonia, vel phrenitide laborantes. Linguam sicciam solito rubicundiorem circa postremam ejus partem cum voce obscura anginam significare. Exertam in pulmonis &c. inflammatione, significare intensum cordis calorem. Si lingua magna, nigra, sine voluntate per os feratur, more eorum, qui aliquid mandunt, malum.

§. 28. Sic & ex gustu læso signa morborum petimus hodie & olim petierunt veteres, ut idem *Barchusius* (o) congesstis. *Nimirum oris amarities plerumque bilis in corpore copiam prodit, quæ per vomitum apte educitur: veruntamen dicta oris amaritudo nonnunquam inediæ signum.* Multitudinem vel materiam supervacuam in corpore esse significat linguae sapor carni salsa similis, ita & acidus sapor & acerbus; nec non cæteri ingredi sapores & ructus, qui vel pisces corruptos, vel cœnum, vel aliud fœtidum referunt, indicant humorum male constitutorum retundantiam. Sic acidus vel falsus cum propensione in somnum, gravitate capitis tinnitus aurium,

(o) l. c. p. 180.

è loquela
leja.

pituita corpus exuberare: si acerbus & corpus aridum, ac adfuerit somnus inquietus, mœror &c. melancholiam primatum inter cæteros tenere: Indicat autem amarus, ut paulo ante monui, abundantiam flavæ bilis. Restant & signa quædam ex Hippocrate à loquela læsa desumpta: ut aphoniæ cum exsolutione venientes pessimæ. Quæ aphoniæ incidunt ex rigore, tremore excutiuntur. Quæ vero aphoniæ in febre sunt convulsivæ, & si cum silentio fanaticæ, fiunt mortiferæ (p). Qui ex dolore sunt voce capti, crudeliter moriuntur, mentis emotiones cum vocis interceptione periculosæ (q): si quis ebrius voce derepente privetur, convulsus moritur, nisi febris ipsum corripuerit, aut ubi ad horam, qua crapulæ solvuntur, pervernerit, loquatur (r). Quicunque ex improviso voce destituuntur, & absque febre fuerint, iis venam secato (s). Minime autem signa isthæc tanquam absolute certa, demonstrativa & infallibilia habenda aut illis solis fidendum esse volo; sed potius prudenti Medico omnia in morbo perpendenda, nec unquam uni soli fidere debet, alias innumeros committet errores, sicuti illi Empyrici, qui soli fidunt urinæ.

CAPVT III. THERAPEVTICVM

Magnitudo aucta linguae. §. 29. IN Curatione morborum linguæ eundem, quantum fieri potest, servabimus ordinem, ut in Capite præcedente, propterea jam primo agendum de magnitudine aucta, ut actiones ejus lædat. Si hoc vitium connatum, uti exemplum Sueicum & Walæi (17) portiones superfluas abscindendo, linguam legitime formarunt, & feliciter curarunt. Si vero

(p) Hippocr. lib. 2. de Morb. (q) in Coacis.

(r) Sect. V. aph. 5. (s) Lib. 2. Epidem.

vero a morbo lingua valde excrevit vix operatio talis suadenda. Lingua duplex videtur omnem respuere medelam; nisi singularis conformatio, aliæque circumstantiæ auxilium aliquod indicent. Si ab *inflammatione* lingua valde intumuit, morbus curandus ut *inflammatio*, nimirum Venæ sectione, præsertim in raninis & jugularibus instituta, scarificatione, purgatione antiphlogistica subjuncta, deinde aliis medicamentis antiphlogisticis, pulveribus terreis & nitrofisis, mixturis & jupapiis refrigerantibus, potuque aquoso. Externe conducunt collutiones oris frequentes refrigerantes, vel ex decoct. hord. rosar. prunell. malv. &c. vel ex aquis stillatitiis plantag. prunell. fl. sambuc. rosar. cum syrupo quodam refrigerante aciduscule, ut syrup. diamor. ribesior. cerasor. acidor. cum pauco nitro vel spiritu vitrioli, aliave gargarismata, quæ in tonsillarum & faucium inflammatione conducunt, quæ æger sæpius in ore teneat. Si vero *inflammatio* resolvi nequeat, & *in abscessum* tendat, conducunt gargarismata emollientia, ex malva, althea, verbasco, ficubus cum aqua vel lacte parata, addito melle rasato, & simulac maturus est (quod ex mollitie & fluctuatione puris cognoscitur) si non sponte rumpitur, aperiatur scapello, ut pus mature evacuetur; postea mundificatur & simul rursus consolidatur, continuatione prædicti gargarismatis, & frequenti applicatione mellis rosati ope penicilli vel linamenti.

§. 30. Si tumor pituitosus sive ædematosus, linguam infestat, conducunt non solum iteratæ purgationes per alvum, *Tumor pituitosus.* sed etiam medicamenta resolventia & diaphoretica, præsertim M. S. Tinct. Bezoard. Essent. scord. succini &c. decocta lignorum, aut infusa pugillaria, ex lignis, radicibus & herbis resolventibus parata, calide sæpius sorbilata, ex quibus etiam gargarismata idonea fieri possunt. Proficua etiam hic esse censemus apophlegmatizantia, ut masticatio mastichis, cinamomi, radi-

Tumor à Mercurio. cis pyrethri, herb. nicotianæ, imo ipse fumus hujus herbae non erit inidoneus. Corpus contra frigus defendatur, & in libera perspiratione conservetur. *Tumor in ptyalismo mercuriali oriundus*, minuitur primo potu diluente calido v. g. ptisana, vel decocto aut infuso lignorum, ad humores viscidiores, fluxiles reddendos, atque abstinentia ab ulteriori Mercurii usu. Si haec non sufficient & tumor augeatur, purgans aut clyisma revelare venenis. lens exhibeatur. Si a venenis assumitis, haec prius sunt expellenda, copiosus potus diluens calidus est assumendum, & garganis in inflammatione proficua sunt usurpanda.

Scirrhi & cancri occulti.

§. 31. *Scirrhi & cancri linguae*, si totam vel saltem magnam ejus partem occupant, nullam prorsus medelam admittunt, si vero parvi, & forte dens inæqualis & pungens causam constituit, hic mature evellendus, aut apex laedens limandus, ut irritatio externa tollatur. Ast quando talis dens malum non produxit, sed scirrus parvus sponte oriatur, medicamentis parum effici potest, sicut in aliis scirrhis, imprimis quia lingua medicamenta, alias in scirrhis proficua, non fert, neque alia methodus nota applicandi remedia idonea: verum præstat exiguum scirrum intempestiva medicamentorum applicatione non laceſſere, & ab omni irritatione abſtinere, ne in cancrum degeneret; & potius convenienti victus ratione incrementum ulterius præcaveri debet, sic per longum tempus imo per totam vitam parvos scirrhos sine notabili incommodo ſæpe gerunt. Quod si vero ex molesto pruritu in dolorem mordacem abeunte, conſtat scirrum in carcinoma abire, res utique periculosa est, eaque tanto periculosior, quo tumor cancrosus major; neque in medicamentis ulla est fiducia, tamen si parvus & mobilis, præſertim in anteriori linguae parte ſitus, in matura extirpatione aliqua ſpes est: quæ hic ita adornanda, ut prehensa lingua integumenta ejus usque ad carcinoma, ampla ſatis plaga incidentur, & poſtea integrum a partibus ſanis reſecetur. Si vero

vero immobilis, periculum majus est; attamen si non nimis magnam partem affecit, integra pars cancrosa scapello excindatur, cavendo, ne quid relinquatur, nam nulla cancri extirpatione tentanda, nisi integer tolli possit, quia inde exasperatur, ægrique seeti citius pereunt. Igitur si major, quam ut totus auferri queat, relinquendus potius & non tangendus est. In utroque casu post extirpationem, sanguis medicamentis stypticis primo sistendus, deinde vulnus, melle rosato & oleo myrræ per deliquum consolidandum.

§. 32. *Si cancer jam exulceratus, sanies acris & fœtida effluit, status fere deploratus est, imprimis si magnus. Quod si exulceratio parvus sit, vix aliud remedium super esse puto, quam extirpationem omnis cancroſi ferro autigne, si modo accessus detur.* Sed ante operationem æger præparandus V. S. purgantibus, victu commodo & medicamentis sanguinis acrimoniā corrigentibus, pro diversitate temperamentorum vario modo adornandis. Ubi vero extirpatio amplius fieri nequeat aut æger eam admittere nolit, modo dicta victus & medendi ratione ulterior progressus mali inhibendus, quantum fieri potest, & simul gargarismatibus mundificantibus ac melle rosaceo vel oleo myrræ per deliquum nimia sævities temperanda, ut ægro malum per se acerbissimum tolerabilius modo redatur.

§. 33. *Verrucae in lingua sæpe in contagio venereo affe-* *Verrucae.*
Etis conspicuntur, ubi, præter interna specifica, purgantia, mercurialia & decocta lignorum, externe egregie conductit, si vitriolo cyprino sæpe tanguntur, quo sensim consumuntur, & quamvis non raro redeant, tamen eadem methodo iterata tandem funditus tolluntur. Si radix earum tenuis, ligatura ope fili serici, vel sectione auferri possunt, præsertim si postea radici laudatum Vitriolum affricemus.

Ranula. §. 34. *Ranula*, quamvis à *Celso* (x) inter abscessus ponatur, vix tamen resolvi & raro ad suppurationem deduci potest, imprimis quoniam medicamenta aliás huic fīri dicata, ut emplastra & cataplasmata commode hic applicari nequeunt: imo in infantibus, ne quidem gargarismata. Alias in adultis chirurgi commendant 1) gargarismata aut decocta resolventia & cataplasmata sub mento applicata; quibus vero, si non cedat, 2) gargarismatibus & cataplasmatibus ex herbis emollientibus sicubus & passulis suppurationem producere student, qua facta, abscessum aperiunt, nisi sponte rumpatur, ut alium abscessum, & melle rosato curationem absolvunt. Quia vero & hæc raro obtineri potest, propterea optimum ac frequentissimum remedium est, ut operatione chirurgica tollatur. Et quia tumor hic ex cysticorum est genere, proprio inclusus folliculo, multi suadent integrum ejus cum toto folliculo extirpationem, id quod etiam faciendum esse existimamus, si fieri potest; verum cum folliculus ut plurimum sit valde tenuis, neque propter angustiam loci satis commode accedere liceat, metusque sic laesionis ductuum salivalium Warthoni nervorum aut vasorum raninorum, raro totus excindi solet, sed usitatus est tumorrem mature ampla incisione aperire, lingua prius adlatus inclinata, ut sic eo melius locus apertioris conspici possit, nec ductus salivales aut vasa linguae temere laedantur. Aperto tumore contenta materia plerumque sponte effluit, & tumor subito concidit: ubi vero tenacior est, leni pressione exitum adjuvamus. Ne autem redeat hic tumor, quod saepius fit, nisi quoque folliculus ejus tollatur, sicut in aliis cysticis, cavitas aperta saepe abstergi debet, vino albo & melle rosaceo, aut sirup. diamor. vel melle rosato, cui ad notabilem acorem spiritus vitrioli sit instillatus, aut aluminis pulvis additus: huic postea linteolum bacillo alligatum immergitur, eoque cavitas aliquo-

(x) Libr. 7.

aliquoties quotidie paulo durius extergitur, donec membrana folliculi consumta sit, postea solo melle rosato vulnus facile sanescit. Notandum quod, licet omnibus rite peractis, tumor tamen saepe resurgat; quo vero in casu eadem operatio iteranda, donec tandem cystis radicitus extirpata nullum novum tumorem producere valeat. Tumor hic aliquando duriusculus & quasi inflammatorius est atque a suppuratione non abhorret: quapropter antequam aperiatur, tentari potest suppuratio methodo supra descripta, vel lacte calido & fico tosto saepe in ore detentis, applicato simul emplastro vel cataplasmate suppurante sub mento, & quando pus percipitur, aperiatur, mundetur & consolidetur, ut aliis abscessus, sic ab humore putrescente cystis quoque destruitur, & morbus solvitur. Si Atheroma vel Alius tumor cysticus in lingua occurrat, eodem modo ac ranuma la esset curandus.

§. 35. *Calculos in vel sub lingua natos suppuratione facta* *Calculi.*
sponte excidere observarunt Forestus (y) & Platerus (z) quod si sponte non fiat, eos sectione tolli posse, notarunt Abenzoar, Joubertus, Forestus, Blasius, notante Bartholino (a), qui & ipse tales Patavii exemptos vidit. *Contra pustulas in lingua urentes pustulae.* egregius est Φ. Bli, si eo solo vel melle rosato temperato subinde tangantur. *Tinctura martis solaris laudatur in M. N. C. (b).* Lingua instar ligni arida, vix sanationem admittit, Lingua nisi forte levior adhuc sit gradus, ubi gargarismata emollientia arida adhiberi possunt.

§. 36. *Vulnera linguae minora ab instrumento acuto vel* *Vulnera* morsu excitata, praesertim si tantum medium partem transeunt, lingue oris integris, egregie sanat oleum amygdalarum dulcium cum saccharo canto mixtum & saepe pluma illitum. In majoribus ubi tamen pars fissa corpori adhuc cohæret, si manui accessus datur, chirurgi suturam suadent, & quidem mature institutam, quia sine hac vix coēunt, applicato postea medicamento præ-

F dicto

(y) Obs. 26. lib. 14. (z) Obs. 1 b. 3. p. 896. (a) Anat. cap. de lingua. (b) Dec. III. Ann. II. p. 21.

dicto vel oleo myrræ per deliquum , vitatis simul loquela & manducatione . Quo majora vero sunt illa vulnera eo difficultius procedit curatio ; ope tamen suturæ sanationem facilem pollicetur , *Paræus* (c) si corpus linguæ linteo molli , ne lubricitate sua elabatur , minister sedulus arcte teneat , & chirurgus inferne superneque adactis acubus consuat , ubi , quando satis fuisse visum est , filum proxime nodum exsecabit , ne , si longius sit , in dentium interstitiis inter masticationem implicetur , & consutarum partium lacerationem inferat . Hordeatis interim , amygdalatis , gelatina , ovorumque vitellis æger nutriendus : ore saccharum rosarum aut syrumpum cydoniorum saepius versabit , talia enim medicamenti & agglutinantis vicem subeunt , sicuti experientia , non a Magistris , neque ex libris se didicisse asserit : Assertumque exemplis probat insignibus . Idem affirms & comprobat magnus ille Chirurgus *M. A. Severinus* (d) . Si glandibus plumbeis læsa , pars demta resarciri nequit , sed modo laudatis medicamentis vulneri cicatrix inducenda , quam etiam ipsa saliva semper præfens egregie promovet . Si a vulnera ingens adest hæmorrhagia alcohol vini , aut alio styptico idoneo compescenda .

Cum substantiæ ja- §. 37. Substantiæ jactura resarciri arte nequit ; attamen *linguam resectam renasci ob servarunt* , *Horstius* (e) , *Rayerus* (f) , *& Thiermairius* (g) , qui linguam innocentia abscissam renatam memorat , prout ex *Celeb. Valentino* (h) Præceptore nostro honoratissimo didicimus . Instrumentum quoque curiosum , quo illi , qui ob amputatam insignem linguæ portionem farinqueunt , ad verba articulate proferenda uti possunt , in figura oculis subjicit *Paræus* (i) afferitque illud tam à se quam ab aliis feliciter fuisse adhibitum . Atque mirabilem recenset casum , qui ansam dedit huic inventioni , dignus ut hoc a nobis transferatur .

(c) Oper. Chirurg. lib. IX. cap. XXVII. (d) de Efficac. Med. cap. 125. (e) lib. III. Cons. & Epist. Sect. I. (f) Append. M. N. C. Dec. J. Ann. III. (g) Consil. Med. L. 2, cap. 13. (h) Chirurg. med. p. 97. (i) lib. XX, cap. V.

feratur. Cuidam linguae insignis portio resecta fuerat, ex quo infans totum triennium mansit; contigit aliquando, ut dum in agris cum falcaris ex scutula lignea biberet, ab aliquo circumstantium titillaretur, titillatum non ferens, subito in voces articulatas & intelligibiles erumperet, id ipse miratus & rei novitate tanquam miraculo delectatus, eandem scutulam eodem, quo ante situ, in os indidit, planeque tum & articulate sic loquebatur, ut ab omnibus intelligi posset. Itaque diu postea in sinu semper habuit scutulam ad sensa mentis proloquenda: quousque tandem artium magistra & ingenii largitrice necessitate suadente, excidi sibi & affabre fieri instrumentum ligneum curavit, quale apud Paræum (k) depictum cernitur, quod semper ex collo appensum circumferebat, tanquam unicum mentis interpretem, & loquela ministrum.

§. 38. *Ulcera* linguae variam requirunt curationem; cancro tractantur, ut supra de cancro dictum est. Alia ulcera si cum inflammatione, melle rosato & syrup. moror. cum paucō alumine aut spiritu vitrioli curantur. Elui etiam saepē debet os vino & melle. *Ulcera à combustionē*, mel rosar. mucilag. sem. cydon. aut ol. amygdal. dulc. sanat. *Adente pungente*, quæ proveniunt, curantur 1) apicis dentis ope limæ ablatione, vel evulsione, & 2) litu modo dictorum medicamentorum; nisi enim tale pungens mature tollatur, cancrosa ulcera excitare potest.

§. 39. *Aphtharum* curatio; si benignæ & sparsæ magis, non adeo difficilis est: sed si 1) os aqua prunellæ & syrup. moror. addito ① vel ② u ③ li saepius abstergitur, 2) laxans idoneum exhibetur, 3) pulveres absorbentes pro acrimonia temperanda dantur, brevi saepē sanantur. Succus raparum recens expensus, item succus sedi majoris pro abstersione linguae egregie quoque conducunt: si infans adhuc lactatur, nutrix bonam servet diætam, & præcipue à vino aliisque calefacientibus abstineat. Si vero pejoris sunt indolis *sive malignæ*, quod ex aliis pravis adjunctis symptomatibus cognoscendum, præsertim fe-

*Ulcera.**Aphtha.*

bri putrida, crusta que alba, densa, tenacissime faucibus & toti oris cavo adhærente, curatu sunt difficiles & sœpe lethales; Imo si flavæ, lividæ aut nigræ evadunt, gangrænosæ, & pessimæ sunt. In curatione ad acrimoniam hanc temperandam & crustam solvendam remedia præcipua sunt, 1) largior potus calidus, aqueus, diluens, resolvens, abstergens cum paupo nitro, 2) collutiones oris similes continuo usurpandæ, admixto melle rosaceo.

*Paralyssis
linguae.*

§. 40. *Symptomatum linguae actionis lœsa*, primo loco hic ponamus motum ejus abolitum, & sic simul loquela sublatam, quod symptomata linguae paralysin vocant, (*Celsus* (l) linguam resolutam) oriundam à denegato spirituum influxu in musculos linguae, nunc in aliis morbis, ut in apoplexia, syncope, casu ab alto, percussione, animique affectibus vehementibus; nunc per se. In curatione hujus mali requiritur, ut causa influxum spirituum in nervos impediens tollatur, & liber fluxus restituatur. Hoc autem fit vario modo pro causæ varietate: Nam si apoplexia, syncope, casus ab alto, percussio aliquæ morbi conjuncti, hi secundum methodum ipsis debitam prius curandi; si vero paralysis linguae sola supersit, à causa quacunque relictæ, interne eadem medicamenta, quæ contra paralysin in genere profundunt, ut attenuantia, aromaticæ, cephalica, nervina, Effen-tiæ, spiritus, vinum aromatibus imprægnatum, infusa aromatiæ, olea destillata, salia fixa & volatilia, interpositis sudoriferis & purgantibus imo quandoque emeticis. Speciatim vero cum Poterio quidam laudant Ω -um Θ li cephalicum & specificum ejus stomachicum. Externe linguae applicanda, quæ penetrandi, stimulandi & simul confortandi virtute prædita sunt, ad spiritus afficiendos, cui fini dicata sunt potissimum olea destillata valde penetrantia, præsertim oleum destillatum succini, caryophyllorum, cinamom. salviæ, majoranæ, rosmarin. similesque spiritus linguae sœpius applicati; sic & manducatio frequens sinapi, cinamom. caryophyll. cardamom. aliorumque aro-

aromatum aut acriorum, egregii est usus. Commodo olea laudata vel per se illini, vel in forma quoque elæosacchari linguae saepius imponi & soluta deglutiri tandem possunt. *Celsus* (m) optime commendat gargarisma ex aqua, in qua vel thymum, vel hyssopum, vel nepetha decocta sit; & Caput, ait, os & ea, quæ sub mento sunt, & cervicem vehementer perfricare, lasere linguam linere, magna vi luctari, ut verba exprimantur; exerceri reten-
to spiritu, caput sape aqua frigida perfundere, & nonnunquam vomere oportet. Paralysis linguae feliciter curata in M. N. C. (n) describitur, nimis: & Ol. Majoran. ʒ. Ol. succin. ʒj. Ol. anth. ʒ. balsam. vit. gt. v. M. D. pro lingua saepè linenda, atque interne liquor. C. C. succinat. it. Sal volat. oleos. Sylv. assumendo.

§. 41. Si actio linguae ob frænum nimis protractum lædi-
tur, sectione chirurgica succurrendum, quæ vero frænuli so-
lutio non in omnibus infantibus est necessaria, sicuti e vulgo frænum
multi existimant, sed tantum ubi lingua ita ligatur, ut infans
eam ex ore exercere nequeat, & sic nec rite fugere nec deglu-
tire, nec ætate accrescente articulate loqui possit: quod vero
ex mille vix uni contingit infanti. Quod si vero tale p. n.
frænum occurrat provide dissecandum, ut lingua liberio-
rem motum acquirat. Hoc fit linguae extremo manu sinistra
elevato interventu linteoli, ne tam facile gliscat, & ligamen-
tum membranaceum inter venas raninas & ductus salivales in-
feriores, nunc una, nunc pluribus incisionibus, prout utilissi-
mum judicatur, ope forficiis inciditur, ut naturali constitutio-
ni quam simillimum evadat, magna cura habita, ne pars car-
nea, ductus salivales, arteriæ linguae aut venæ raninæ lædantur,
unde periculosa symptomata provenire possunt: recensentque
Mauriceau (o) & *Dionis* (p) exempla infantum ob læsa vasa
linguae ex hæmorrhagia post hanc operationem mortuorum.

(m) Libr. 4. cap. 3. (n) A. VII. & VIII. p. 155. (o) Maladies des
femmes grosses Lib. III. cap. 30. & Observat. 301. (p) in
chirurg. cap. de frænulo linguae.

Si igitur casu lœduntur, ne ex hæmorrhagia damnum sequatur, linteolum acetum vel alio liquore styptico imbutum aliquoties iis applicandum, vel Plum aut ferrumentum ignitum suasu *Hildani* (q) admovendum, donec hæmorrhagia cesseret. Alii in hac operatione, quoniam ob angustiam oris digitis haud commode accedere licet, malunt linguam ope singularis furcillæ obtusæ elevare & sustinere, quando frænulum incident, sicut apud *Scultetum* (r) & *Mauriceau* (s) videri potest. *Celsus* (t) extremam linguam vulsellam apprehendendam, sub eaque membranam incidendam esse docet: quo facto nutrix aliquoties in die digito melle rosato imbuto vulnusculum linat. Si lingua arctius ligata, ut nec exerci nec rite moveri queat, si ne aliquo p. n. frænulo, nulla sectio est instituenda, ne convulsiones, hæmorrhagiæ aut alia mala inde proveniant, sicut ab Empyrico temere factum est, teste *Hildano* (u). *Riolanus* (x) à frænulo male secto convulsiones observavit, & *Dolæus* (y) à læsis ductibus salivalibus ptyalismum continuum annotavit. Hinc *Aquapend.* (z) monet, ne temere ad hanc operationem nos accingamus (etiam si facillima à nonnullis habeatur) quia perperam instituta, gravissima symptomata creare potest. Sic etiam *Koonbuyzen* (a) cavendum præcipit, ne frænulum breve admodum & crassusculum aut carnosum temere secetur, quia facile arteria aut nervus lœduntur. Denique notandum, quod quædam obstetrics, in quovis infante recens nato, frænulum unguibus lacerare tentent, sed quia lacerando saepè inflammations, ulcera, convulsiones aliaque symptomata mala excitarunt, sicut testantur (b) *Hildanus*, *Gregorius Horstius* (c) & *Scultetus* (d) hinc à prava hac consuetudine sunt dehortandæ.

§. 42. Si

(q) obf. 28. cent. III. (r) Tab. XI. fig. VII. & Tab XXXIII. fig IV.

(s) loco citato. (t) lib. 7. cap. XII. (u) loc. cit. (x) lib. IV.

Antropograph. cap. 8. (y) Encyclopæd. chir. L. I. cap. 18.

(z) oper. chir. (a) part. 1. obf. II. (b) centur. III. obf. 28.

(c) Oper. Med. Tom. III. p. 116. (d) obf. 30.

§. 42. Si aphoniam à lingua nimis crassam aut solito breviori aphoniam
aliove simili vitio connato oritur, eam mutare arte non possumus, adeoque insanabilis est. Sic etiam si ob linguam rese-
ctam, sclopetis ablatam, aut alio casu amissam loquela aboletur, in arte medica nulla medela nota est, nam quod juveni illi apud
Tulpium, cui lingua fuit resecta, de quo supra (22) dictum est,
Loquela fuerit restituta extraordinariis accensendum. Si loque-
la læditur à tumoribus, ranula, vulneribus aliisve causis in sen-
sus incurrentibus, ex jam dictis medela patebit.

§. 43. Si loquela depravata est hæitantia, balbutie, aut ti- Loquela
tubantia vitio nervorum malæ conformatio- nis, nimiæ ampli- deprava-
tudinis, crassitiei, longitudinis aut brevitatis, vix medelæ lo- ta &c.
cus est. Si vero ob nimiam laxitatem & humiditatem, evacu-
antia, exsiccantia & roborantia multum valebunt; contra, si
siccitate aut rigiditate, humectantia, collutiones oris frequen-
tes emollientes & potus aquosí palmaria erunt remedia. Si
à frænulo male se habente, ab incisione chirurgica auxilium
petendum. Si à terrore aut motibus convulsivis, nervina pro-
derunt.

§. 44. In gustu abolito, si vitium connatum & ex mala con- Gustus
formatione oriatur, sicuti in vitrivoracis exemplo (11) imme- abolitus.
dicabile est. Si vero gustus abolitus vel imminutus est defectu
spirituum in ægris debilibus, curato prius morbo principali,
roborantibus & analepticis tandem restituitur. Si ab obstru-
ctione nervorum eadem conducunt, quæ contra paralysin lau-
davimus. Si papillæ nerveæ crusta viscida glutinosa oblitæ
sunt, ut objecta sapida percipere nequeant, spatha, cochleari
vel alio idoneo instrumento abradenda, abstergendaque sæpi-
us lingua melle rosato Λ Eli imprægnato, sicut lippis & ton-
foribus notum est.

§. 45. In gustu depravato, amaro, salso, acidoque &c. Gustus de-
conducunt, (nisi quid vetat) vomitoria, purgantia, stomachi- pravatus,
amarus, amara, salina alcalina; & ubi acidum peccat, absorbentia;
falsus, acida acidus.

acida vero ubi nidorosus aut urinosus est sapor: adjuncta simul diaeta congrua, & caussæ contraria.

Retinenda §. 46. *Si excernenda retinentur p. n. in lingua, & in crux-lesa. stas viscidas aut aphthosas desinunt, tollendæ sunt methodo (39 & 44) descripta.*

Excernenda §. 47. *Si retinenda excernuntur p. n., ut supra de hæmorrhoda læsa. rhagia in venæ sectione infelici, atque de simili frænuli sectione dictum (24): linteolum aceto vel liquore quodam styptico ebrium aliquoties applicandum, donec hæmorrhagia remittat. Si forte hæc non sufficiant, frustum fungi ischæmi (vulgo crepitus lupi appellati) aliquamdiu admovendum, aut frustum vitrioli aut aluminis, vel in casu desperato ipso ferro candente vas apertum inurendum.*

Qualitates mutatae corrigendæ. §. 48. *Ratione qualitatum visibilium mutatarum, si pallor & albor à frigidis pituitosis humoribus proveniunt, unde gustus læsio oriatur, conducunt medicamenta attenuantia, & resolventia, amara, aromatica, salina & quæcunque (44) laudavimus interpositis purgantibus maxime mercurialibus. Lingua saepius a pituita linteo & cochleari aut alio instrumento idoneo liberetur, nec non foliis atque decocto salviæ fricetur, donec ad naturalem statum redeat. Sin vero in febribus lingua alba, febri cum primis debita methodo prospiciendum, præsertim potus diluens aqueus sufficiens concedendus, gargantrismatibus refrigerantibus nitrosis os est gargarizandum, & in primis lingua sape abluenda, prout in aphthis jam indicatum est. Et hæc eadem primaria quoque sunt remedia, si in febribus ob æstum lingua sit flava, nigra, aspera & fissa, nam si modo febrim rite curamus, hæc linguæ symptomata quoque cedent. De Saporum peregrinorum salsorum, amarorum, acidorum &c. curatione nihil hic dicturi sumus, quia jam supra (45) pro virili de ea egimus.*

F I N I S.